



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

74. An existens in Ecclesia, vel aliquo Monasterio, & ex fenestra pilam  
tormentariam iecit in alium extra Ecclesiam existentem, & illum occidit,  
gaudeat Immunitate? Et è contra, an ille, si existens ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

## RESOL. LXXIII.

*An existens in Ecclesia mandans homicidium extra illam committi, vel existens extra Ecclesiam mandans intra illam homicidium committi, gaudeat hac Immunitate?* Ex part. 1. tract. 1. Ref. 10.

Supra diffi-  
cultatibus  
positis in ti-  
tulo huius  
Ref. supra in  
Ref. 28. §. 3.  
Vnum. vique  
in finem.

§. 1. **M**inimè gaudere respondet Gambac. lib. 5. num. 25. Ioan. de Hevia in Curia Philipp. p. 3. §. 12. num. 23. cum Duarido in Bulla Cæna, lib. 2. can. 15. quæst. 16. num. 23. & ante Bullam Gregorij Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. c. 11. num. 7. Idem docet Portell. in dubiis regul. verb. Ecclesia immunitas, num. 15. Sed, vt notat ipse ibid. Bulla Gregoriana in Portugallia non est vsu recepta.

2. Sed contrariam sententiam post Bullam Gregor. XI V. docent omnes scribentes. Ita Megala in 3. part. lib. 4. cap. 1. quæst. 1. num. 13. Farinac. de immunit. Eccles. cap. 16. num. 23. cum Martino Bonacina de leg. disp. 3. q. 7. §. 4. nu. 11. & aliis. Et ratio est: quia tales non dicuntur verè, & propriè loquendo occidere; sed mandare occisionem: & cum simus in pœnalibus, & in materia odiosa, vt pote libertati delinquentium, & immunitati Ecclesiasticæ contraria; verba Bullæ contra occidentem, non sunt extendenda ad mandantem occidere: sicut censura lata contra aliquem facientem, non est extendenda ad mandantem id facere; vt nos latè probauimus in tract. de denunciationib. q. 23. & probat in casibus huius Bullæ, Homobon de Exam. Eccles. p. 2. tract. 11. c. 5. q. 5. relect. 4.

3. Nec valet dicere, quòd, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur: nam respondeo, hoc axioma, vt bene aduertit Avil. de cens. p. 1. c. 5. disp. 3. dub. 2. & alij, intelligendum esse quoad culpam, non autem quoad pœnam; & omnia suprâ dicta sunt intelligenda etiam, vt in titulo quæstionis diximus, de illo, qui existens extra Ecclesiam mandaret committi homicidium intra Ecclesiam: nam militat eadem ratio, licet Peregrinus, quoad hoc, contrarium sentiat, c. 6. n. 36. Sed tu tene nostram sententiam.

## RESOL. LXXIV.

*An existens in Ecclesia, vel aliquo Monasterio, & ex fenestra pilam tormentariam iecit in alium extra Ecclesiam existentem, & illum occidit, gaudeat Immunitate?*

*Et è contra, an ille, qui existens extra Ecclesiam occideret existentem in Ecclesia, gaudeat eius Immunitate?*

*Et an gaudeat etiam Immunitate ille, qui vulneraret aliquem in Ecclesia, etiam cum sanguinis effusione, sine tamen alicuius membri mutilatione?* Ex part. 1. tract. 1. Ref. 9.

Sup. hoc in-  
fra in Ref. 76.  
cursum post  
mediu. vers.  
qui etiam, &  
in Resol. 1.  
not. seq. in  
fin. §. Secun-  
do, quamuis  
ibi sit quæ-  
stio pro sa-  
cilegio, &  
pollutione  
Ecclesie.

§. 1. **N**on gaudere affirmat Gambacur. lib. 5. c. 24. num. 21. Villadiego in Polit. cap. 3. num. 206. Ioan. de Hevia in Curia Philipp. part. 3. §. 12. num. 23. & in hoc socios multos habent; nam ita tenuerunt, ex nostris, P. Megala in 3. part. lib. 4. cap. 2. q. 1. num. 12. Graff. tom. 1. lib. 3. conf. nico, num. 10. de immunit. Eccl. Duarid. in Bulla Cæna, lib. 2. can. 15. quæst. 16. n. 23. Farinac. tract. de immunit. cap. 16. num. 223. Portel. in dubiis regul. verb. Ecclesia immunitas, num. 12. Ambrosinus tract. de immunit. cap. 5. num. 8. Et ratio est: quia tale homicidium commissum videtur in Ecclesia, cum, in illa initium habuerit.

2. Sed mihi placet opinio Bonacin. tract. de legib. disp. 3. quæst. 7. §. 4. n. 8. vbi asserit, supra dictum crimi-

nosum gaudere immunitate. Et ratio est: quia Gregorius in ista Constitutione ait, illos non gaudere immunitate, qui mutilant, & occidunt in Ecclesia: quæ quidem verba, vt patet, denotant actum completum, & perfectum in Ecclesia: ergo, cum simus in materia odiosa, & in pœnalibus, non sunt dicta verba extendenda ad homicidium inchoatum in Ecclesia. Et hoc patet manifestè à simili: nam vt docet ipsemet Bonacina de cens. disp. 1. q. 1. punct. 11. n. 11. ille, qui, dum existit in Ecclesia, iacit sagittam, & occidit hominem existentem extra Ecclesiam, non incurrit censuram latâ contra occidentem in Ecclesia; nam illa occisio facta fuit extra Ecclesiam, licet in Ecclesia fuerit inchoata: ergo etiam verum est, quòd, secundum sententiam Bonacinæ, dictus criminofus non potest capi à ministris ob sacrilegam vulnerationem in Ecclesia inchoatam.

3. Notandum est verò, è contrâ, quòd immunitate non gauderet ille, qui existens extra Ecclesiam, occideret existentem in Ecclesia: nam talis dicitur delictum occisionis commississe in Ecclesia. Et in his casibus puto, non esse attendendum locum inchoati, sed locum consummati delicti, vt suprâ dixi: & ita docet Riccius p. 5. Collect. 1792. Portel. loco cit. Bonacin. n. 7. Farin. n. 224. Peregrin. num. 16. Megala num. 13. & alij: gauderet tamen hac immunitate ille, qui vulneraret aliquem in Ecclesia etiam cum sanguinis effusione: sine tamen alicuius membri mutilatione, vt docet Farinac. vbi suprâ n. 227. & alij.

Super hoc in  
tom. 1. tr. 7.  
ex doctrina  
Ref. 90. §. 2.  
ad medium.  
vers. Secus  
dicendum.

Supra hoc  
magis latè  
supr. in Ref.  
28. §. Vnde,  
& infra in  
fin. Ref. seq.

## RESOL. LXXV.

*An qui in Ecclesia commisit homicidium, vel membrum mutilauit non deliberatè, sed accidentaliter, & ex calore iracundie, & pronocationis, gaudeat Immunitate?*

*Et quid, si vulnerauit aliquem in Ecclesia extra membrum mutilationem, an gaudeat Immunitate?* Ex part. 1. tract. 1. Ref. 11.

§. 1. **N**egatiuè respondet Gambacur. lib. 5. c. 23. & ex nostris Peregrin. de immunit. c. 6. n. 15. qui adducit rationem ex verbis Bullæ, vbi Summus Pontifex indistinctè excipit membrorum mutilationes, homicidia in ipsis Ecclesiis, vel Cœmeteriis: ergo indistinctè debet intelligi, tam de illis, qui ex proposito & deliberatè; quàm de illis, qui in rixa accidentaliter, & ex calore iracundie occidunt, vel mutilant.

2. At his minimè suffragantibus, contrariam sententiam docet Farinac. tract. de immunit. Eccles. c. 16. n. 240. & ante bullam id docuerat Guttier. pract. 99. lib. 3. q. 1. n. 3. §. & seq. cum Sess. decis. 141. n. 8. & aliis. Et hoc maximè procederet, si tale homicidium fuisset in Ecclesia perpetratum, non solum ex rixa subitanea, sed & ad alterius prouocationem: & multò magis ad se defendendum: nam in præfatis casibus occidens, vel mutilans non videtur habere animum irreuerentem offendendi, & violandi ipsam Ecclesiam. Vide Tabianam vers. Immunitas, n. 10. Armillam eod. verb. n. 12. Rosellam eod. verb. n. 2. & alios. Notandum est tamen, vulnerantem in Ecclesia gaudere omnino immunitate; extra membrum tamen mutilationem; & ita nouissimè in terminis nostræ Bullæ docet Barbosa in Collect. tom. 1. lib. 3. tit. 4. c. 10. n. 10.

Supr. hoc in  
fine Resolut.  
præterita, &  
magis latè  
supr. in Ref.  
28. §. vnde,

## RESOL. LXXVI.

*An qui ex subita rixa, & occasione occidit, vel mutilauit aliquem in Ecclesia, gaudeat eius Immunitate?*

Et